



**LIBRI || OFFICIALIS || SIVE AGENDAE S.|| TREVERENSIS  
ECCLESIAE PARS || POSTERIOR, IN QVA IAM PRIDEM  
RECEPTI ET || longa consuetudine confirmati  
Catholico-||rum ritus, quasi in vnum corpus ...**

**Jakob <III., Trier, Erzbischof>**

**Trevorum, 1576**

**VD16 ZV 206**

Benedictio Agni in festo Paschæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75472)

**BENEDICTIO AGNI****ET CARNIVM IN DIE SAN-****CTO PASCHAE.**

Vbi moris est, carnes sub Missa in Ecclesia benedici, ponantur ante altare. Et sacerdos facta in Canone commemoratione pro defunctis, postquam peruenerit ad illam partem canonis, vbi dicitur, Per quem hæc omnia domine semper bona creas, &c. vertat se ad populum & carnes, & dicat.

**Versic.** Adiutorium nostrum in nomine domini.

**Respo.** Qui fecit Cœlum & terram.

Vbi vero consuetudo habet post Missam benedici, vel in priuatis ædibus, sacerdos superpellicco cum stola ornatus, habens coram se carnes benedicendas, dicit.

**Versic.** Adiutorium nostrum in nomine domini.

**Respo.** Qui fecit Cœlum & terram.

**Versic.** Domine exaudi orationem meam.

**Respo.** Et clamor meus ad te veniat.

**Versic.** Dominus vobiscum.

**Respo.** Et cum spiritu tuo.

**ORATIO**

## ORATIO.

**O**remus. Iesu Christe fili dei viui, qui es verus & immaculatus agnus, quiq; immaculatus in ara crucis peccata mundi delesti, & nos ad ouile proprijs humeris reportasti: has carnes Agni, quas ad vsus hominum creasti, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris: vt omnes ex eis sumentes, se sentiant tuis beneficijs repletos: & corporis, & animæ, sanitatem, te annuente, se percepisse lætentur, Saluator mundi. Qui viuis, & regnas, cum deo patre, in vnitate spiritus sancti deus. Per omnia sæcula sæculorum. **Respo.** Amen.

## ORATIO.

**O**remus. Deus vniuersæ carnis, qui Noe, & filijs suis de mundis & immundis animalibus præcepta dedisti, quiq;  
S        sicut

sicut holera herbarum, humano generi  
 quadrupedia munda edere permisisti.  
 Qui agnum in Aegypto Moyse & po-  
 pulo tuo, in vigilia Paschæ, comede-  
 re præcepisti in figurâ agni domini no-  
 stri Iesu Christi, cuius sanguine omni-  
 a primogenita tibi de mundo redemi-  
 sti: & angelo in nocte illa omne primo-  
 genitum in Aegypto percutere præce-  
 pisti: seruans populum tuum agni san-  
 guine prænotatū: dignare, quæsumus,  
 domine deus omnipotens, bene ✠ di-  
 cere, & sancti ✠ ficare has ouiu, agnorū  
 hædorum, auium, & quorūcunq; mū-  
 dorum animalium carnes: vt quicun-  
 q; de tuis fidelibus populis ex eis com-  
 mederint, omni bene ✠ dictione cœ-  
 lesti, & tua perenni repleti gratia faciē-  
 tur. Per eundem Christum Dominū  
 nostrum. **Resp. Amen.**

Aspurga.

Aspergantur deinde carnes aqua benedicta. Si sub  
Missâ benedixerit sacerdos, post benedictionem con-  
uersus ad altare, dicat, Per quem hæc omnia, &c.

## BENEDICTIO O- VORVM IN PASCHATE.

Si fuerint oua benedicenda, aspersis carnibus aqua  
benedicta, dicat iterum.

**Versic.** Adiutorium nostrum in no-  
mine domini.

**Respo.** Qui fecit cœlum & terram.

**Versic.** Domine exaudi orationē meā.

**Respo.** Et clamor meus ad te veniat.

**Ver.** Dominus vobiscū. **Ref.** Et cū.

### ORATIO.

**Oremus.** Subueniat, quęsumus, Do-  
minę tuę bene ✠ dictionis gratia huic  
ouorū Creaturę, de qua pullos gallina-  
rū procreare dignatus es: vt cibus salu-  
bris fiat tuis fidelibus in tuarū gratiarū  
actione sumentibus. Per Christū. &c.

Aspergatur deinde aqua benedicta, & sacerdos pro-  
sequatur in missa (si facta est benedictio) Per quē. &c.

S 2

**BENE.**